



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Viridarivm Sanctorvm

Ex Menæis Græcorum lectum, translatu[m] et Annotationib. similibusq[ue]
passim, historijs Latinis, Græcis; editis, ineditis illustratum

Rader, Matthäus

Avgvstae Vindelicoꝝ, 1607

S. Donatvs Pontifex Euroææ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43013

cordia. &c. Recensetur ibi immensa illa flammarum eruptio à Vesuuiio monte, ex qua quidem non tantum proxima adiacentis ciuitatis, ac circumpositarum regionum, sed totius fere Europæ conflagratio imminere videbatur. qua tamen S. Ianuarij est virtute compressa. Hæc Baronius. Erupisse etiam ante annos ducentos octoginta traditur Benedicto IX. pontifice. Sed de S. Stephano nulla mentio. Narrat & Platina Benedicto II. pōtifice, qui fuit LXXXIII. Vesuuium flammam vomuisse, sed in Stephano ea de re nihil.

30. April.

Vide Mar.

Rom.

S. DONATVS PON- tifex Eurœæ.

FLoruit hic temporibus Theodosij Magni Episcopus Eurœæ, quæ vrbs in veteri Epiro est. In vrbe porro locus erat Soria dictus, ibidemq; fons, quem qui gustabant miseranda morte necabatur. Quod vbi sanctissimus Antistes Donatus intellexit vna cum sacerdotum cætu ad fontem venit, ad cuius aduentum mox tonitru exauditum, subitoque exitiale monstrum, quod in puteo latebat, emerit, sancto que viro occurrit. Cumque draco iumentis, quo vehabatur episcopus, pedes implicare conaretur, Sanctus iumentis tergum loro cædens, ipsum opportunè tetigit draconem, qui repente mortuus concidit. Tum qui miraculo

culo spectatores aderant, collecta filua pestem illam flānis exusserunt. Sed fontem adhuc nemo gustare audebat. Sanctus ergo precatus, fontem crucis signo consecrauit, primusque inde bibit, vnde mox & cæteri certatim gratulabundi hauriebant, innoxii que portabant, ac domum sunt reuersi. Quæ cum Theodosius Imperator audiisset, omnes inde Episcopos euocauit, & quis esset Donatus percontabatur, qui ictu flagelli draconem exanimasset & vndam e terra & cælo impetrasset. Ostendunt alij: & hic, inquit, Imperator, est Donatus. Imperator salutatum deducit ad Augustā, amboque ad eius prouoluti pedes, rogant & dicunt: Serue Dei solare nos, & tuam in nos clementiam exhibe: vnica nobis est filiola, quam importunissimus dæmon miserè torquet, cuius causa nos ingenti dolore intimis animis excruciamur. Quod si illam curaueris, semissem ex omnibus eius opibus præmij loco reportabis. Deductus vir sanctus ab illis ad puellam, cacodæmonem increpitum extemplo depulit, filiamque saluam & incolumem præstitit. Imperatore ergo promissa Episcopo offerente, nihil auri sanctus admisit, sed cum pium ipsorum affectum cerneret pontifex, peti-

uit locum quendam ditioni suæ proximū quem vmbilicum dicebant, in quo templū sibi liceret condere. quem Imperator statim ei per publicū diploma concessit. Idē perbeatus Episcopus vetuit sepeliri quendam, quoad creditori suo satisfecisset, excusatum enim in vitam cum creditore composuit, & rationibus vtrinque collatis & decis, chirographo deleto, illum iussit ad quietem redire, & communem omnium diem resurrectionis expectare. Ingens tum siccitatis æstus torrebat sata, rogatu igitur Imperatoris egressus vrbe Sanctus ad Deum preces fudit, tantaque vis aquarum de cælo defluxit, vti parum ab inundatione & cataclysmo differre videretur, terraque innataret aquis. Animaduertit simul Imperator illum vnica tunicula, quamuis imber esset maximus, vestitum. Cumque paulò post in regiã rediisset, nec vlla in veste eius pluuiæ gutta vel humor cerneretur, omnibus admirationi & miraculo fuit. Imperator verò admodum eius oratione capiebatur datoque illi ad templi fabricam, fabricæque ornamenta auro, domum remisit. Reuersus ille, templum condidit, sepulchrum suū instruxit, ac postremo vitâ in longam senectam propagata ad Dominū abiit.

S. THAL-

*Stanisla^o
Episcopus
Cracouiē.
sis idē ferè
E.c. Et D.
Vdalric^o,
æque Se-
rapion, qui
filiã ex tu-
mulo re-
spondere
iussit de
deposito,*